



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 46. De latronibus cum Christo crucifixis; & secu[n]do Christi ad
bonum verbo quo illi promisit paradisum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

MEDITATIO XLVI.

DE DVOBVS LATRONIBUS cum Christo Domino crucifixis; de secundo VERBO, quo alteri illorum Paradisum promissit.

PUNCTVM I.

a Luc. 23. 33
Ioan. 19. 18.



T cum a eo crucifixus duos latrones vnum a dextris, & alterum a sinistramedium autem IESVM.

b Isai. 52. 12.

CONSIDRANDVM hic est rara illa Christi Domini nostri humilitas, qui voluit in medio duorum latronum, ad eodignominio: è crucifigi. Fas est enim credere, eius hostes, insigniores & famosiores elegisse latrones, qui in carce detinerentur; & fortiores, qualis erat Barabbas, vt sic impleatur quod scriptum de illo erat b & cum seletis reputatus est.

QVò verò hanc humilitatem altius huc intelligam, eleuandi mihi sunt oculi ad infinitam eius dignitatem; & perpendendum, quod ipse sit verbum æternum, medium inter

alias duas diuinas personas, idemque qui inter Moysen & Eliam medius, in monte Thabor fuit transfiguratus; & qui est lapis angularis, cui duo populi, Hebræus scilicet & Gentilis connectuntur; & in die iudicij, sedebit in throno suæ maiestatis, in medio bonorum à dextris, & malorum à sinistris. Hic igitur Dominus est, qui in monte Caluario, & in throno isto crucis, medius est inter duos istos latrones, contemptus ita & abiectus, atque si ipse esset latro: sed nihil tamen illi, ex tali comitatu, malitiæ aut infamiae adhærescit, ibi potius representat, & nobis ob oculos ponit iudicium, quod facturus est de iustis & peccatoribus.

IN toto autem hoc facto, insigne nobis præbet exemplum, quo nos ipsos consolemur, si contingat nos in abiecto aliquo loco collocari, & in numero malefactorum reputari; certò nobis persuadentes, si re ipsa nihil nobis malitiæ adhæserit; nec infamiam nocituram. O Rex gloriæ, quam abundè ostendisti, venisse te in mundum, vt humilitatis nobis præberes exemplum! In eius enim ingressu, positus fuisti in præsepis, in medio duorum animalium; in exitu verdè ab eodem affixus es cruci, & positus in medio duorum latronum, vt finis initio aptè responderet, crescente humiliatione gradibus suis, vsque ad supremum, quò poterat peruenire. Concede mihi, Domine, sic ad tui imitationem, vitam meam instituere, vt principium, me-

dium, & finis eius, sit vera humilitas, qua
amore, omne genus humiliationis ample-
ctar.

PUNCTVM II.

Luc. 23. 39.

VNVS autem de his qui pende-
bat latronibus, blasphemabat eum, dicens,
si tu es Christus, saluum fac reme-
sum & nos: respondens autem alter, increpa-
bat eum, dicens, neque tu times Deum, quod in
eadem damnatione es. Et nos quidem in illa
nam digna factu recipimus: hic verò nihil mali
gessit.

CONSIDERANDVM hic est discrimen
inter bonos & malos; & ignominia, quæ ab illis
accedit Christo; & gloria, quæ provenit eisdem
ab illis.

I.

PRIMUM alter illorum (qui creditur
fuisse à sinistris, quia reprobos significabat)
blasphemabat CHRISTVM, sicut Phari-
sæi, exprobrans illi peccatum, ob quod dice-
batur crucifixus; quia nimirum CHRISTVM
se & Messiam finxisset: fuit autem hæc igno-
minia CHRISTO Domino ignominia, cuius
despectus eo usque peruenit, ut vilissimus
homo, & ad mortem crucis, ob sua atrocita-
tia & scelera damnatus, illum subsannaret;
existimans scilicet, ea subsannatione indul-
gentiam obtinere, ut benè moreretur. Et
quo apparet, quam sit impijs familiare, pro
priorum delictorum oblitos aliena exage-

rare, murmurare de illis, & sententia sua eos damnare, qui talia admiserint; seiplos interim tanquam innocentes, illorum comparatione, illis præferre: sicut scelesto huic latroni euenit, qui nouissimo hoc peccato, suæ damnationis mensuram impleuerit; occasionem interim præbens ipsi Saluatori, miram suam patientiam ostendendi & exercendi; vt qui nullum verbum, tam acerbo suo iniuriolo & tam propè se existenti red diderit.

CONTRA verò alter, qui à dextris Christi erat, inspiratione tactus Spiritus sancti, adiutusque gratia eius Domini, quem propè se habebat, opposuit se blasphemanti, vt IESVS Christi honorem tueretur; diuina ita prouidentia disponente; vt quoniam CHRISTVS Dominus noster illatam sibi iniuriam silentio tolerabat, non deesset, qui pro ipso respondens, eum defenderet. In ipso autem suo responso, aliquos heroicis virtutis actus exercuit, charitatis præcipuè & humilitatis.

PRIMVS fuit, quo publicum blasphemum corripuit, & conuincitibus verbis, dicens: *nec tu times Deum, qui in eadem es mortis damnatione?* Atque si diceret, quod Deum non timeant, qui sani sunt, nec in mortis periculo constituti, non aded mirum est, sed quod tu non timeas in periculo proxime mortis constitutus, hoc verò est intolerandum.

II.

I.

2. SECUNDVS fuit actus, fateri publicè suam culpam, & approbare pœnam crucis, quam patiebatur tanquam iustam, & quam impleisset pro merito: cuius etiam confessionis & iudicij socium suum admonebat.

3. TERTIVS fuit, confiteri ipsius Christi Domini innocentiam, cùm dixit; *hic verò nihil mali gessit.* tantum itaque animi habuit, ut coram tanta plebis multitudine, confiteretur, Principes Sacerdotum & Scribas, deceptos esse, dum Christum accuserunt; & Pilatū grauius errasse, dum eundem ad crucis mortem condemnauit: omnesque eos perperam facere, qui illum blasphemarent: eò quòd reuera nihil ille mali gessisset. O Virum admirandum, qui non erubuit, Christi Domini confiteri innocentiam, quo tempore totus mūdus eum damnabat. Apostoli fugiūt, discipuli latent, omnes eius noti conticescunt, Iudæorum pertimescentes iram: solus hic latro, in cruce eleuatus magnis vocibus prædicat, Christum esse innocentem. AEquum est, Saluator iustissime, verbum illud implere, quo dixisti, *b omnia qui confitebitur me coram hominibus confitebor & coram Patre meo, qui in cœlis est, & coram Angelis Dei.*

b Matth. 10.

32.

c Luc. 12. 8.

III.

EX hoc exemplo discam sicut in monte Caluario tres fuerunt in Cruce; aliter tamen atque aliter: nam vnus culpæ reus erat, sed pœnam impatienter tolerabat: secundus et si culpæ reus, pœnam tamen patienter sustinebat: tertius, nullius culpæ reus, pœnam tamen gra-

uissimam admirabili patientia ferebat. ita hominibus solet euenire in hac vita ; quorum quidam etsi ob sua scelera, à Deo castigantur ; iniquo tamen animo pœnam illam ferunt : qui cum malo latrone, pœnas æternas dabunt ; de cruce, hoc est, de pœna temporali, ad Infernum, & æternam descendentes. Alij ob sua quidem scelera castigantur ; sed pœnam tamen illam humiliter & patienter ferunt, illud Prophetæ demisso animæ dicentes, d *iram* d *Mich. 7. 9.*
Domini portabo, quia peccaui ei : & hi cum bono latrone, suorum peccatorum veniam obtinentes, ex cruce illa & temporali pœna, ibunt ad Paradisum. Alij denique absque sua culpa affliguntur, ad suæ virtutis exercitium, & coronam ampliorem ; dum talem afflictionem, magna patientia, ad Christi Domini nostri imitationem ferunt. Et hi sunt feliciores : nam pretiosissimum crucis est, illam sine culpa ferre. Verùm ego miser, si non potero tantam felicitatem obtinere, vt inter hos postremos numerer, quia peccatis oneratus, quascunque promereor pœnas, possumque ac meritò debeo, id quod in libro Iob scriptum est dicere, *e peccaui, & verè deliqui ; & vt e Iob. 33. 27.*
eram dignus, non recepi ; contendam saltem vnus esse ex secundis, vt boni latronis exemplum securus, Dei misericordiam obtineam.

PUNCTVM III.

CONVERSUS autem idem bonus latro, a *ad IESVM*, dicebat: *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.*

I. IN hac heroica latronis huius oratione & petitione, considerandum est primùm, sanctum hunc poenitentem, postquam praelatae charitatis & humilitatis opera exercuerat, & propriam culpam, Christi verò sanctitatem confessus fuerat, statim animum concepit, & orandi fiduciam; ut & peccatorum veniam, & in Coelum ingressum peteret, verbis quidem breuibus, sed pijs, fideque ac fiducia plenis.

NAM primùm, Dominum vocat, idque magna reuerentia, cultum illum & honorem ei deferens, qui ab omnibus, ut *b vermis & non homo, ut opprobrium hominum & abiectio plebis* contemnebatur. **DEINDE** fatetur eum esse Regem, verum quò habere regnum; eo modo, quo ipsemet apud Pilatum falsus fuerat, cum dixit, *c Regnum meum non est de hoc mundo.* & urgenti, *ergo Rex es tu?* annuit, dicens, *quia Rex sum ego:* ad quod regnum, aeternum utique & coeleste possidendum, per crucem transibat & mortem. **TERTIÒ** petit *memento mei, cum veneris in regnum tuum:* ac quasi diceret, non peto hic saluari, aut liberari de cruce, sicut meus cupiebat socius; sed ut post

mor-

mortem huius crucis, salues me saluatione
 æterna. Nec peto, vt me tecum in regnū tuum
 deducas, sedemque & thronum in eo assignes:
 nam latro, qualis ego sum, non ausit rem tam
 grandem petere, solū itaque peto, *memento
 mei*, & hoc mihi est satis: nam si mei memine-
 ris, bonam mihi mortem concedes, & col-
 locabis in loco tuæ gloriæ, sicut volueris.
 O latronem prudentissimum, & simul hu-
 millimum; quā apertè nouisti, & petere, &
 negotiari tibi d *regnum Cœlorum* quod vio- *d Matt. 11.*
lenti rapiunt; non tibi nunc accidet, quod *12.*
 Iosepho, cum Pincerna Pharaonis, cum quo
 simul detinebatur in carcere, cui dixit: *et an- c Gen. 40.*
tum memento mei, cum benè tibi fuerit, vt fa- 14. 23.
cias mecum misericordiam, verū Pincerna
oblitus est interpretis sui. Non talis est hic Do-
 minus qui tecū est crucifixus: nam trucidis tem-
 pestate transacta, ad magnam perueniet pro-
 speritatem, & memor tui, eius te faciet parti-
 cipem.

I I.

DEINDE causas exquiram, ex quibus la-
 tronis huius conuersio & confessio, adeoque
 admiranda fides processit, etsi enim præcipua
 horum causa fuerit *f mutatio dextra excelsi*, *f Psal. 76. 11.*
 quæ cor eius verè mutauit, sed eadem tamen
 Dei dextera aliqua media adhibuit ad eum il-
 lustrandum; quæ non fuerunt præcipuè mi-
 racula, quia fortè nunquam viderat ali-
 quod miraculum Christi; nec adhuc illa in-
 ceperant, quæ in ipsa passione acciderunt;
 nec fuerunt sermones, quia nullum Christi

Ierimo

sermonem audierat: Sed loco mira ulorum, illum permouit heroica patientia & mansuetudo, quam obseruauit in Christo, inter tot iniurias constituto; loco etiam sermonis eius, cor emolliuit raræ illius charitatis exemplum, quod dedit, cum pro suis inimicis orauit; ex quo illustratione cœlesti didicit, illum Dominum esse sanctissimū; & si quidem ipse dixisset, se Regem & Messiam esse, ac Dei filium, id proculdubio verum esse. Ex quo discam & ego, quantum referat esse patientem, mansuetum, & charitatem bonumque exemplum exhibere: siquidem hæc omnia vim habent miraculorum, & sermonum siue concionum, ad peccatores, etiam rupibus duriores conuertendos. O dulcis IESU, qui in cathedra crucis existens, stupendā tuā patientiā, & admirandā tuæ charitatis exemplo, latronē ita ad te traxisti, adiuua me, vt ad imitationem tui, similia ego miracula faciam, proximos meos exempli huiusmodi ædificans, vt mali ea videntes, compescantur, bonos vero ad maiorem perfectionem accendam Amen.

Cassian. Col.
lat. 12. c. 13.

III.

DENIQUE ad imitationem boni latronis, ad pedes Christi crucifixi prostratus, repetam semel & sæpius, quo maximo potero affectu eandem eius orationem, memento mei, cum veneris in regnum tuum. O Rex æternæ, agnosco me, ob scelera mea, iustè multorum laborum & tentationum cruce premi, ne quæso mei oblitus, permittas me perire, sed quæ iam regnum tuum possides pacificè memento

mitem

miseri huius, oculis eum misericordiae tuae respiciens.

PUNCTVM IV.

ET a dicit illi IESVS, Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. a Luc. 23. 43.

CIRCA secundum hoc verbum, quod Christus in cruce dixit, considerandae sunt inestimabiles diuitiae atque thesauri liberalitatis eius, misericordiae, bonitatis & charitatis.

PRIMUM hic apparet orationis eius efficacitas, qua pro peccatoribus oravit, hunc primum eius fructum, in magno hoc peccatore percipiens, de quo dicunt aliqui, quod initio simul cum socio suo Christum blasphemaue- rit, quod insinuant Matthaeus & Marcus dum in plurali dicunt, *b latrones qui crucifixi erant cum eo, improperebant ei.* quod si ita est, multo adhuc magis eminet virtus Christi, in hoc blasphemo, repente conuertendo, sicut etiam eandem virtutem ostendit, dum Saulum ob S. Stephani orationem conuertit. b Matt. 27. 44. Marc. 15. 32.

I.

ETIAM respundet hic efficacia sanguinis IESV Christi, in cruce effusi, cuius primitiae fuerunt in hoc bono latrone, quem miro modo transmouit, remittendo illi omnem culpam & poenam, & promittendo ingressum sine mora in Paradisum, eumque certum & securum, de ea felicitate reddendo. O bone IESV, quam libenter in omni loco munus tuus exerceas, iustificandi peccatores: nam adhuc in

II.

materno

materno utero existens, tuum præcursorem iustificas; iacens in præsepio, Magos ad te vocas, gratia tua illos illustrans; & in cruce pendens, hunc etiam latronem vocas, vitam æternam, statim post hanc temporalem illi promittis. Gratias tibi pro immensa hac liberalitate, & oro supplex, ut idem munus Salvatoris, erga me exerceas, ut regnem tecum in secula. Amen.

III.

PERPENDENDA præterea est promissionis huius liberalitas: Latro enim solùm petijt, *memento mei, dum veneris in regnum tuum*: Christus verò, cum attestatione securum eum facit, quòd eodem ipso die, sit futurus secum in Paradiso, & regno suo. O Rex supreme, suffecisset promittere, quòd post aliquot annos, esset certò in tuum regnum peruenturus; sed charitas tua accelerat terminos, qui aliàs fuissent constituendi, & loco purgatorij, pro solutione accepta tormenta, quæ iam patitur: & ne animo deficiat in ijs, quæ adhuc illi supersunt; cùm nimirum eius crura essent frangenda, dicit illi; *hodie mecum eris in Paradiso*; hodie fors tua permutabitur, & ex cruce hac tormentorum, transibis ad Paradisum deliciarum, in quo sis mecum futurus: sic enim promisi, *si quis mihi ministraverit, & secutus fuerit; vbi summo, illic & minister meus erit*: Et siquidem tu es me secutus in cruce, etiam sequeris ad gloriam, *hodie mecum eris in Paradiso*. O Rex gloriæ, si adèò liberalis eum afficis præmio,

a Ioan. 12.
26.

qui tres quatuorve diei horas te est tecutus, quanto liberiori eum afficies, qui te omnibus horis, & vitæ suæ atatibus perfectè sequetur? Si ad eum te gratum ostendis erga peccatorem, qui post innumeras tibi illatas iniurias, seruet tibi reverentiam defert & honorè; quantam ostendes gratitudinem ei, qui vitam suam totam consumit te colendo & honorando! O felicem latronem; qui cum *de tota die orosus* fuisses, *circa horam* tandem *vindictam*, hora scilicet una ante noctem, ad eum tuum laborem accelerasti, ut qui *ultimò* veneras *primus esse* promerueris, primus inquam omnium mortalium, qui statim atque ex hac vita excessisti, æternæ gloriæ denarium perceperis. Accelera, ô anima mea laborem tuum; siquidem feruenti labore, amplius præmium promeraberis, quàm temporis sola diurnitate: quòd si utrumque, & diurnitatem & feruorem coniunxeris, præmium erit copiosissimum.

dMat. 20. 8.

PUNCTVM V.

VLTIMO consideranda sunt duo genera hominum, malorū scilicet & bonorum; quos duo hi latrones, quorū alter fuit reprobatus, alter electus, repræsentat; memoria tenens, quod Christus Dñs dixit, loquens de nouissimo die iudicij, a tunc duo erunt in agro; vnus assumetur, & vnus relinquetur; duo in lecto, & duo in molendino, & vnus assumetur,

I.

a Mat. 24.

40.

a Luc. 17. 34

& alter

Et alter relinquetur; quasi diceret, ex omnibus
 statibus, & vitæ ducendæ rationibus, quosdam
 assumendos in cœlû, propter bona opera, quæ
 præuia & adiuuante diuina gratiâ fecerunt; al-
 lios verò relinquendos, qui propter peccata,
 quæ arbitrij sui libertate patrarunt, descendunt
 in infernum. Quare qui in molendino est, &
 statu matrimonij; multis curis & laboribus
 occupatus, non debet propterea salutis suæ fi-
 duciam abiicere; nec qui in lecto est, & statu
 continentiæ, magna sua quiete, debet suæ con-
 demnationis metum deponere: ac denique
 qui laborat in agro vitæ actiuæ, & qui in lecto
 requiescit vitæ contemplatiuæ, debent cum
 spe, etiam timorem coniungere iudiciorum
 Dei: cui humillimè supplicabo, ne sim aliquis
 ex relictis, sed ex assumptis; ita vitam meam
 instituens, vt dignus sim, quem Deus ad se acci-
 piat, & collocet in Paradiso.

II.

PERPENDAM etiam, quòd quamuis Ie-
 sù Christi sanguis potens erat, vtramq; la-
 tronem iustificare; non tamen nisi in altero
 vim suam exercuit; vt timoris, contra p̄sum-
 ptionē, fiduciæ verò, contra pusillanimitatem
 haberemus occasionem. Quare magis pecca-
 tores, cùm se morti vicinos aduertunt, ne de-
 sperent; memores vnum latronem, qui vel in il-
 la hora poenitentiam habuit, misericordiam
 esse consecutum. Sed nemo tamen laxiorem
 vitam suam instituat, poenitentiam vsque
 horam mortis differendo; cùm videat altero-
 rum latronem etiam propè ipsam Christum
 morien-

morientem, absque poenitentia decessisse, diuinae iustitiae feueritate castigatum. Est etiam magnum satis timoris incitamentum, quod inter tot malos, qui in monte Caluarium conuenerant, vni soli latroni dictum sit: hodie mecum eris in Paradiso.

III.

DENIQUE etiam perpendi potest, quod apud Beatissimam Virginem, totus hic euentus effecerit; tam scilicet latronis confessio; quam Christi eius filij ad illum responsio; quod videlicet aliquantulum respirauerit, videns non defuisse aliquem, qui pro filij sui honore responderet; & quod fuerit in fide confirmata, excellenti adeo audito responso, quo significabatur, Christi ipsius Passione caeli portas referari, quae a tot annorum millibus fuissent obferatae. O Anima mea, respira inter tot lacrymas paulisper, aded iucundis nonis auditis: attende hodie Paradisi portas aperiri; & quamuis tantis impensis, sanguinis videlicet tui Saluatoris; ipse tamen eius effusione recreatur, vt sic earundem portarum ferrea confringantur. O sancte Patriarcha Abraham; nihil iam miror, quod *b* sis gavisus, cum diem hunc in spiritu vidisti, in quo erat Paradisus referendus tibi tuisque filijs, fidelis tuae obedientiae imitatoribus. O mundi Saluator, in cuius manibus, clavis cruci confixis, *c* Clavis est Dauid, qua ita aperis, vt nemo claudat; ita claudis, vt nemo aperiat: aperi mihi portas caeli, quas mea peccata occluserunt; occlude vero portas inferni, quas eadem aperuerunt;

b Ioan. 8. 58
Vide Intro-
duct. huius
part. 5. 1. ad
initium.
c Isai. 22.
22.
c Apos. 3. 7.

in die mortis, sicut bonus iste latro, tecum veniam ad Paradisum. Amen.

MEDITATIO XLVII.

DE VERBO TERTIO, QUO
Christus Dominus matrem suam
& Ioannem discipulum est
allocutus.

PUNCTVM I.

a Ioan. 19.
25.



TABANT a autem iuxta
crucem IESV, mater eius,
& soror matris eius Maria
Cleopha, & Maria Magda-
lena, & discipulus ille, quem
diligebat.

I. CONSIDERANDVM hic est eos, qui magis in amore IESV eminebant, magis etiam eiusdem cruci appropinquasse; quia non est minus indicium amoris Christi, quam eundem ad crucem usque sequi, eius doloribus & ignominijs compatiendo, & earundem se reddendo participē: & quo proprius accedimus, & maiori stabilitate ac firmitate, eo maiora huius amoris edimus signa, cum quatuor his personis, quæ hic sunt expressæ.

II. OMNIVM verò earum dux fuit Sacratissima Virgo; cuius intuitu reliquæ accesserunt, sine qua tantum animi non habuissent, ut illis assisterent; sed illa, tanquam in fide firmior, & in amore magis accensa, omni humano peri-
culo